



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Evangelium Vnicvm Domini Nostri Iesv Christi

Riccioli, Giovanni Battista

Bononiae, 1667

Meditationes III. ex Epistolis ad Hebræos, & ad Galatas de Filio Dei iam Incarnato; pro illis, qui triduo ante Renouationem votorum, nempe 29. 30. & 31. Decembris, noluerint meditari de Paupertate, ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-70945](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-70945)

 MEDITATIO XXIX.

Pro die 29. Decembris.

Ex Cap. 1. Epist. ad Hebræos.

I. **M**ultifariam, multisq; modis olim Deus loquens patribus in Prophetis: nouissimè diebus istis locutus est nobis in Filio, quem constituit hæredem vniuersorum, per quem fecit, & sæcula.

II. Qui cum sit splendor gloriæ, & figura substantiæ eius, portansq; omnia verbo virtutis suæ; purgationem peccatorum faciens, sedet ad dexteram maiestatis in excelsis.

III. Tantò melior Angelis effectus, quantò differentius præ illis nomen hæreditauit: cui enim dixit aliquandò Angelorum: Filius meus es tu, ego hodie genui te? & rursus ego ero illi in Patrem, & ipse erit mihi in Filium. Et cum iterum introducit primogenitum suum in orbem terræ, dicit, & adorent eum omnes Angeli Dei.

N O T Æ.

*Figura substantiæ non accidentalis, sed
substantialis character: Græcè enim est χαρα-
κτηρ.*

*Et cum iterum; Prima introductio in Or-
bem*

hem Terra fuit, vel Incarnatio Verbi, vel po:
 tius Natiuitas; secunda verò Resurrectio, post-
 quam Dominus regnauit, & Idololatriam
 extirpare cœpit, ut dicitur in Psalmo 96. ex
 quo pariter sumptus est versus ille: Adorate
 eum omnes Angeli eius.

MEDITATIO XXX.

Pro die 30. Decembris.

Ex Cap. I. ad Hebræos à n. 7. ad 14.

I. **E**T ad Angelos quidem dicit. Qui
 facit Angelos suos spiritus, & mi-
 nistros suos flammam ignis; Ad Filium
 autem: Thronus tuus Deus in seculum
 seculi: virga æquitatis virga regni tui.

II. Dilexisti iustitiam, & odisti iniqui-
 tatem: propterea vixit te, Deus, Deus
 tuus oleo exultationis præ participibus
 tuis.

III. Et tu in principio Domine ter-
 ram fundasti, & opera manuum tuarum
 sunt cœli. Ipsi peribunt, tu autem per-
 manebis, & omnes vt vestimentum ve-
 terascent, & velut amictum mutabis eos,
 & mutabuntur; tu autem idem ipse es,
 & anni tui non deficient.

IV. Ad quem autem Angelorum dixit
 aliquandò. Sede à dextris meis, quoad-
 usque ponam inimicos tuos scabellum
 pedum tuorum? Nonne omnes sunt ad-
 mi-

66 PRIMA PARS
ministratorij Spiritus in ministerium
missi propter eos, qui hæreditatem capiunt salutis?

N O T A.

Vnixit te Deus, Deus tuus: *priore loco nomen Deus est vocativi casus, ac si diceret Te ò Deus, seu Te qui es Deus, posteriori autem loco est nominandi casus Deus enim Pater Filium suum Deum unxit; vel tota Trinitas unxit Christum, qui est pariter Deus, & homo.*

M E D I T A T I O X X X I .
Pro ultima die Decembris.

Ex Epistolis S. Pauli.

- I. **A**d Galatas 4. Vbi venit plenitudo temporis misit Deus Filium suum, factum ex muliere, factum sub lege, ut eos, qui sub lege erant, redimeret, ut adoptionem filiorum reciperemus, &c.
- II. Ad Galatas 5. In Christo Iesu neque circumcisio aliquid valet, neque præputium: sed fides, quæ per Charitatem operatur: & cap. 6. In Christo enim IESU, neque Circumcisio aliquid valet neque præputium, sed noua creatura, &c. *Quare non prohibetur nobis circumcisio spiritualis, & renouatio spiritus, sed carnalis, à qua*

à qua liberati sunt Gentiles in Christum credentes.

III. Nam ad Romanos 15. dicitur. Dico enim Christum IESVM ministrum fuisse Circumcisionis propter veritatem Dei ad confirmandas promissiones patrum. Gentes autem super misericordia honorare Deum, sicut scriptum est: Propterea confitebor tibi in Gentibus Domine, & nomini tuo cantabo. Et iterum dicit; lætami Gentes cum plebe eius; & iterum, Laudate omnes Gentes Dominum, & magnificate eum omnes populi. Et rursus Isaias ait: Erit radix Iesse, & qui exurget regere Gentes, in eum Gentes sperabunt.

MEDITATIO XXXII.

Pro prima die Ianuarij.

Ex Luca 2. num. 21.

I. **E**T postquam consummati sunt dies octo, ut circumcideretur puer: Vocatum est nomen eius IESVS, quod vocatum est ab Angelo, priusquam in utero conciperetur.

N O T A.

Supponenda est hoc loco Lex Circumcisionis imposta Abrahamo, & posteris eius, de qua